114 09. i
3.

Repreſſaliæ ſunt licitæ.

Æace, quem nigri verſantem crimina mundi
Pallentes horrent animæ, quem furva veretur
Regia, dum pœnam cunctis, & præmia ſolvis,
Peccandíque vices alternâ morte rependis:
Sit mihi fas tibi pauca loqui, ſanctúmque precari
Majeſtatis onus, ſceptríque immobile culmen.
Ludimur heu miſeri? & nullas ſervantia leges
Arma ſatis juſtum poſſunt ſanctúmque creare?
Vivitur ex rapto bene? quóſque indigna tuetur,
Vel fuga, vel denſis conſervant mœnia, caſtris,
Reddit cauſa pios victrix? Oh *Numina!* vobis,
Numina! mortales non ſic confundere curas,
Et dare jus ſceleri placuit: Concepta merentem
Aut fugit vindicta reum, vel jura negantem
Ulla dari, torvo ſequitur *Rhamnuſia* paſſu.
Sic patrias repetens gazas, armentáque ſævâ
Rapta manu, & tantam cupiens avertere prædam,
Cantatas, *Neleus*, urbes, gelidúmque pererrans
Alphæum, priſcas populaverat *Elidos* oras.
Sic magni *Regina* ſali, quam *Dalmata* fulvus
Horret, & *Oebalii* veneratur ſpuma *Tarenti*,
Piſanas effregit opes, *Genuæq;* ruinis
Exultans, totam *Marci* compleverat *Arcam*.
Nos quoq; quos vaſto circumfluus æquore *Nereus*
Scindit, & inviſo tutos ſecrevit *Ibero*,
Dum leges *Caſtella* negat, nec judicat æquum
Damna reſarciri, & tantæ diſpendia gentis;
Luſerat, ah, quanto crimen penſavimus auro,
Scit *Tidor*, & noſtris *Malabar* vexata carinis,
Scit *Chile*, divésque *Peru*, cùm *Mexica* claſſes
Accepit, proprióque ſtetit jam concolor auro:
Cùm procul, ínq; alium peregrini venimus orbem
Victores, *Lunámq;* retrò, *Solémq;* ſequacem
Liquimus, & medio tentoria fiximus *Indo*.
Sic ſaltem gaudete mali, tetricúmque tribunal
Temnite, pulſatóque ſcelus lictore triumphet.
Dum ſequitur vindicta malos & tota vagatur
Regna per, & populos ultor, pœnámq; repoſcit
Ut ſua reddatur violato victima rectò.

ERGO,

Diſcite juſtitiam gentes, reverentia pulchri
Prima ſiet; ſceptris hæc ſemper gloria ſumma eſt,
Hoc majus feciſſe decus, quàm ſi orbe revicto
Una triumphatus fuerit provincia mundus.

Factum legitimè *non* retractatur *licèt* extiterit caſus *unde* initium capere non potuit.

Viderat infeſto quondam mortalia greſſu
Et multa caligine volvi
Juſtinianus, *Eôs* quondam cui paruit omnis,
Occiduíq, cubilia *Phœbi*.
Hinc fera veſani genetrix audacia belli
In pugnas commiſerat ævum;
Indè volans cœco præceps Diſcordia lapſu
In lites laxaverat orbem;
Hæc ſecum cùm *Ductor* ait, Quid protinus iræ,
Quid denſis glomerata catervis
Arma juvant? non ſic mortales, prælia, mentes,
Non circumſtipantia pila
Deflectunt, quantùm leges, & publica jura,
Vel rigidum lictore tribunal.
Illicet occœpit leges, conſultáque patrum
Vota piis inſcribere chartis:
Unde regat torvos effræna licentia mores,
Audacémque ſuperbia vultum
Comprimat; hic quale gaudet tutore pupillus,
Hîc plenum vitæq; theatrum
Spectare eſt: ſed nec miſeros infeſta *Quirites*
Cauſa vorat, longóq; meatu
Actio laſſatos vexat circumvaga cives,
Atq; iterum incipienda laborat:
Quod ſemel inceptum eſt durat, factúmq; perenne
Perpetuos firmatur in annos.
Nec fortuna levis, fatáque volubile crimen
Principium mutaverit acti.

ERGO,

Parcite ſi veſtris leviora negotia votis,
Et curas molimur inanes:
Mens fuit incaſſos dudum fregiſſe labores,
Et cœptâ deſiſtere cauſâ,
Sed me jura vetant, ac quæ ſub judice lis eſt
Conceptis abſiſtere curis.

Julii 6. 1663. *In veſperiis Comitiorum*, *Reſpond.* Joan. Clark, *in Jure Civili Doctore*, & Aul. Trin. *Soc.*